



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum**

**Sfondrati, Celestino**

**[Sankt Gallen], 1684**

Æternæ Veritati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63125)

ÆTERNÆ VERITATI.



Neglecta & derisa Veritas ! TIBI hæc fo-  
lia ; Cui enim alteri, quæ placere non pos-  
sunt, nisi amanti Veritatem. Alii tiaras &  
coronas quærunt, à quibus aut pretium, aut  
gratiam ineant. Tu mihi ante omne pretium  
& gratiam es. Et vici & felix fui, si TIBI  
placui, Jaces nunc quidem, vel neglecta vel invisâ ;  
nam fucus & mendaciis vivitur. In aulis quot blanditiæ in  
vultu, quot obsequia in gestu, quot amores in fronte, quot  
Syrenes in voce, quot scenæ, quot larvæ, quot  
artes adulantium, Veritate proscriptâ ? Perit, qui non fal-  
lit. In tribunalibus, hoc est, in ipsâ ara Veritatis, quid aliud  
tot advocatis, tot testibus, tot legibus, tot juribus agitur,  
quàm ut eatenatis retrò manibus, Tu Rea, Tu Victa, cur-  
rum & triumphum fraudis adornes ? In historia verò, hoc  
est, speculo tuo, illi ipsi, qui Te profitentur, qui ad Tuum  
Vexillum jurant, ah quoties Te produnt ! Aut tacent, aut  
excusant, aut negant, aut saltèm tot nebulis Te involvunt,  
ut ne appareas quidem. Sic videlicet tam es invisâ, ut nulli-  
bi placeas, nisi larvam vultui præendas ; fucus, non facies  
amatur. In ipso Sanctuario Tuo, ubi de moribus, ubi de  
conscientia & æternitate alea vertitur, heu quanta Tui  
oblivio ! Pingendis, ornandisque vitiis ubique colores  
elaborantur, & quæ præscribi debuerant, Paranymphe  
Theologo in amplexum & thorum eunt ; non adulteria,  
non homicidia, non perjuria, non veneres patrociniis  
carent, immo innocentes sunt ; nulla ergo Tui cura,

Tui honos, opinionibus omnem paginam implentibus, & ad clavum admittis. Verbo, ut noctuas radius, sic Tu oculos offendis. Sed hæc modò, nam erit tempus, cum deletis nubibus in apricum, & serenum erumpas, tanto tunc clarior, quanto nunc vilior: Æternitas Te aperiet, illic vinces, & regnabis, nunc victæ similis. Tibi ergo hæc folia, Tibi calamum factò, non pretio, non gratiâ conductum, sed Tui amore captum: hæc sola merces, placuisse Veritati, hoc volui.

Quid Aula dicet? probabit, si Te amat, si Te non amat, repellet: utrumque mihi gloriæ fuerit, & placuisse, cui Tu places, & displicuisse, quibus Veritas non placuit. O ergo ut placeam! ô ut displiceam! Incertus sum voti, sed certus victoriæ. Tu vale, quam & amo, & adoro.



*Paranesis*